

181

Interdum tamen loco integræ S ad dimidium designandum notam illam, quæ in hac Inscriptione exhibetur, nempe C usurpasse Veteres hinc discimus; neque enim ea aliter explicari potest; Fortasse res non caret exemplo: nam, si bene memini, in aliis etiam vetustis Inscriptionibus id olim deprehendisse mihi videor, quas magno opere quærere haud esset operæ pretium, quum præsertim Vir undequaque clarissimus Pompejus Compagnonius notam hanc pro semuncia in tabula, quæ Demerrio Alabaldo tribuitur usurpatam, per literas mihi nuper significaverit.

C I V.

MAnutius in Orthogr. hanc Inscriptionem vulgavit, & *prope Pisaurum* extare recte scripsit; Grut. pag. DCCCCLIV. 9. e *Manutio & Buchelii schedis*, quæ tamen loco *Sextii* male *Sextilium* exhibent. In repetita ejusdem editione additur: *ad S. Mariam in Pual uno milliari a Catholica: ita Bajerius.* S. Maria Imperialis evasit in Pual & quum uno dumtaxat milliari Catholicam versus Pifauro distet, uno milliari a Catholica ponitur; en ut facillime in locis Inscriptionum indicandis errent Viri cæteroquin diligentissimi.

In porticu igitur D. Mariæ Imperialis exstabat hæc Inscriptio, quam ob Fabros in ea anaglypho opere insculptos vico nomen *le Fabreccie* dedisse haud inepte conjectari possumus; nunc vero apud me servatur beneficio Viri pietate, nobilitate, ac eruditione præstantissimi Philippi Spadæ Pifaurensis Episcopi, qui veteri illa porticu diruta, ac Ecclesia in ampliorem, melioremque statum, quam quondam fuerat, suis sumptibus renovata, Inscriptionem benignissime mihi concessit.

Fabri porro, quos memoravimus, idcirco in marmore insculpti fuerunt, ut artificium, quod Sextii illi viventes exercuissent, viatoribus indicarent; si quis plurima hujusce moris exempla desiderat, adeat Fabretum ad Tabell. Iliad. pag. 337. & seqq. & cap. IV. Inscr. Dom. pag. 274.

C V I.

BONITATI. Cognomen foceræ L. Petronii, ita porro L. Antonius Consul, M. Antonii III Viri R. P. C. frater, *Pietatis* cognomen habuit; quod tamen haud singulare fuit; plures enim *Pietates* occurrunt in Grutero. Vid. Ind. cap. XXIII. CVIII.